

Mendacium semper esse injustum, cum sit peccatum, & veritati contrarium.

qui dicit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata, ac per hoc aliqua justa esse quæ injusta sunt: quo quid absurdius dici potest? Unde enim est peccatum, nisi quia justitiæ contrarium est? Dicantur ergo alia magna, alia parva esse peccata; quia verum est, nec auscultandum stoicis qui omnia paria esse contendunt: dicere autem quædam injusta, quædam justa esse peccata, quid est aliud quam dicere quasdam esse injustas, quasdam justas iniquitates; cum dicat Apostolus Joannes: *Omnis qui facit peccatum, facit & iniquitatem, & peccatum iniquitas est?* Non ergo potest justum esse peccatum, nisi cum peccati nomen in alia re ponimus, in qua quisque non peccat, sed aut facit aliquid, aut patitur pro peccato. Nam & sacrificia pro peccatis peccata appellata sunt, & pœnæ peccatorum dicuntur aliquando peccata. Hæc planè possunt intelligi justa peccata, cum justa dicuntur sacrificia, vel justa supplicia. Ea verò quæ contra legem Dei fiunt, justa esse non possunt. Dictum est autem Deo: *Lex tua veritas.* Ac per hoc quod est contra veritatem, justum esse non potest. Quis autem dubitet contra veritatem esse mendacium omne? Nullum ergo justum esse potest mendacium. Item cui non clareat ex veritate esse omne quod justum est? Clamat autem Joannes: *Omne mendacium non est ex veritate.* Omne ergo mendacium non est justum. Quapropter quando nobis de Scripturis sanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse dum non intelliguntur; aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt.

In hebræis

32. Sed quod scriptum est, bene Deum fe-

fecisse cum hebræis obstetricibus, & cum Raab jeric huntina meretrice, non ideo factum est quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdumque non esset, si alio prius tempore commissa ab eis aliqua opera mala, Deus propter posteriora opera bona vellet ignoscere: ita mirandum non est, quod uno tempore in una causâ Deus utrumque conspiciens, id est, factum misericorditer, factumque fallaciter, & bonum remuneravit, & propter hoc bonum malum illud ignovit. Si enim peccata quæ propter carnis concupiscentiam, non propter misericordiam fiunt, propter posteriora opera misericordiæ dimittuntur; cur non merito misericordiæ dimittuntur, quæ propter ipsam misericordiam committuntur? Gravius est enim peccatum quod animo nocentis, quam quod animo subvenientis efficitur. Ac per hoc si illud deletur opere misericordiæ postea subsequente; cur hoc quod est levius, non deletur ipsâ hominis misericordiâ, & præcedente ut peccet, & comitante cum peccat? Ita quidem videri potest: verumtamen aliud est dicere, peccare quidem non debui, sed opera misericordiæ faciam, quibus deleam quod antè peccavi; & aliud est dicere, peccare debeo, quia non possum aliter misereri. Aliud est, inquam, dicere, quia jam peccavimus, benefaciamus: & aliud est dicere; peccemus, ut benefaciamus. Ibi dicitur, faciamus bona, quia fecimus mala; hîc autem, faciamus mala, ut veniant bona. Ac per hoc ibi exhaurienda est sentina peccati,

EE 2

hîc

1. Joan. 2. 4.

Psal. 118. 142.

1. Joan. 2. 21.

obstetricibus, & in Raab non remunerata fallacia, sed benevolentia. Exod. 1. 20. Jos. 6. 25.

hic cavenda est doctrina peccandi.

Sitne boni
hominis a-
liquando
mentiri
pro alte-
rius salute.

33. Restat itaque ut intelligamus, illis mulieribus, vel in Ægypto, vel in Jericho, pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem utique temporalem, quæ quidem & ipsa æternum aliquid etiam illis nescientibus prophetica significatione figuraret. Utrum autem sit aliquando vel pro cuiusquam salute mentiendum, cum quæstio sit, in qua dissolvenda etiam doctissimi fatigantur, valde illarum muliercularum in illis populis constitutarum, & illis moribus assuetarum excedebat modum. Itaque hanc earum ignorantiam, sicut aliarum rerum quas pariter nesciebant, sed sciendæ sunt à filiis non hujus sæculi, sed futuri, Dei patientia sustinebat: qui tamen eis pro benignitate humana, quam famulis ejus impenderant, quamvis cæleste aliquid significantia, præmia terrena reddebat. Et Raab quidem ex Jericho liberata, in Dei populum transitum fecit, ubi proficiens posset ad æterna, & immortalia munera pervenire, quæ nullo sunt querenda mendacio. *TUNC tamen quando illud opus bonum, & pro suæ vitæ conditione laudabile Israëlitis exploratoribus præstitit, nondum erat talis ut ab ea exigeretur: *Sit in ore vestro: Est, est; Non, non.* Obstetrices autem illæ quamvis hebrææ, si secundum carnem tantummodo sapuerunt, quid aut quantum est quod eis profuit remuneratio temporalis, quia fecerunt sibi domos, nisi proficiendo pertinuerint ad eam domum de qua Deo cantatur: *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te?* Multum autem fatendum est propinquare justitiæ, & quamvis re ipsa nondum, jam tamen spe atque indole animum

*CAPUT
XVI.

Matth. 5.
37.
Exodi 1.
17.

Psal. 92.5.

esse laudandum, qui numquam nisi hac intentione mentitur, qua vult prodesse alicui, nocere autem nemini. Sed nos cum quærimus, sitne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Jerichum, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad ipsam Jerusalem terrenam, quæ Gal. 4. 25.
&c. servit cum filiis suis; sed de cive illius civitatis quæ sursum est, libera mater nostra æterna in cælis. Et respondetur quærentibus nobis: *Omne mendacium non est ex veritate.* I. Joan. 2. 21. Filii autem illius civitatis filii sunt utique veritatis. Ejus civitatis filii sunt de quibus scriptum est: *In ore eorum non est inventum mendacium.* Apoc. 14. 5. Ejus civitatis filius est de quo item scriptum est: *Verbum suscipiens filius à perditione longè aberit: excipiens autem excepit illud sibi, & nihil falsi ex ejus ore procredit.* Prov. 29. 27. His filiis supernæ Jerusalem, & sanctæ civitatis æternæ, si quando ut hominibus obrepit qualecumque mendacium, poscunt humiliter veniam, non inde quærunt insuper gloriam.

34. SED dicit aliquis: Ergone obstetrices illæ, atque Raab melius fecissent, si nullam misericordiam præstitissent, nolendo mentiri? Imò verò illæ mulieres hebrææ, si essent tales de quibus quærimus, utrum sit eis aliquando mentiendum, nec aliquid falsi dicerent, & foeda ministeria de parvulis occidendis liberrimè recusarent. Sed, inquires, ipsæ morerentur. At vide quid sequatur: Morerentur enim cælestis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quàm domus illæ quas sibi fecerunt in terra esse potuerunt: morerentur futuræ in æterna felicitate, mortem perpersæ pro innocentissima veritate. Quid illa

CAPUT
XVII.
Obstetrices
hebrææ &
Raab num
fecissent
melius, no-
lendo men-
tiri.
Exod. 1.
17.
Jos. 2. 4.

in Jericho, numquid hoc posset? Nonne si quærentes cives mentiendo non falleret, verum dicendo latentis hospites proderet? An posset interrogantibus dicere: Scio ubi sunt; sed Deum timeo, non eos prodo? Posset hoc quidem dicere, si jam esset vera Israëlitis in qua dolus non esset: quod futura erat per misericordiam Dei transiens ad civitatem Dei. Verum illi hoc audito, inquires, illam perimerent, domum scrutarentur. Sed numquid consequens erat, ut illos etiam quos diligenter occultaverat invenirent? Prospexerat enim cautissima mulier, & ibi eos posuerat ubi latere potuissent, etiamsi ei mentienti creditum non fuisset. Ita & illa, si tamen a suis civibus esset occisa pro misericordiae opere, vitam istam^a finiendam pretiosam in conspectu Domini morte finisset, & erga illos ejus beneficium inane non fuisset. Sed, inquires, quid si & ad illum locum ubi eos occultaverat, ii à quibus quærebantur, perscrutando omnia pervenissent? Isto modo dici potest: Quid si mulieri vilissimæ atque turpissimæ, non solum mentienti, verum etiam pejeranti credere noluisset? Nempe etiam sic consecutura fuerant, quæ tinendo mentita est. Et ubi ponimus voluntatem ac potestatem Dei? An forte non poterat, & illam nec civibus suis mentientem, nec homines Dei prodentem, & illos suos ab omni pernicie custodire? A quo enim & post mulieris mendacium custoditi sunt, ab eo potuerunt, et si illa mentita non esset, utique custodiri. Nisi forte obliti sumus hoc fuisse in Sodomis factum, ubi masculi in masculos nefanda libi-

^a Aliquot MSS. *foenam*.

bidine accensi, nec ostium domus in qua erant quos quærebant, invenire potuerunt; quando vir justus in causa omnino simillima pro suis hospitibus mentiri noluit, quos esse Angelos nesciebat, & vim morte pejorem ne paterentur, timebat. Et certè poterat talia respondere quærentibus, qualia in Jericho mulier illa respondit. Nam prorsus similiter & illi interrogando quæsierunt. Sed homo justus noluit pro corporibus hospitem animam suam suo mendacio maculari, pro quibus voluit corpora filiarum alienæ libidinis iniquitate vim perpeti. FACIAT ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest: cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit: JAM SE EXISTIMET NON HABERE QUID FACIAT, quando id reliquum esse perspexerit, quod non rectè faciat. Proinde Raab in Jericho, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos ubi potuit occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Jerusalem civibus imitanda laudetur. Quod autem mentita est, etiamsi aliquid ibi propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur: quamvis Deus illa bona memorabiliter honoraverit, hoc malum clementer ignoverit.

35. Quæ cum ita sint, quoniam nimis longum est omnia pertractare, quæ in illa Libra Dictinii sunt posita velut imitanda exempla mentiendi, ad hanc regulam mihi videntur non solum ista, verum etiam si qua sunt talia redigenda: ut aut quod esse creditur,

ostendatur non esse mendacium (sive ubi taceatur verum , nec dicitur falsum ; sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi ; quod genus figuratorum vel dictorum , vel factorum abundat in propheticeis litteris) aut quæ vincuntur esse mendacia , non esse imitanda monstrentur ; & si qua nobis ut alia peccata subreperint , non eis tribuendam justitiam , sed veniam postulandam . Hoc quidem mihi videtur ; & ad istam sententiam me superius disputata compellunt .

CAPUT
XVIII.
An mendicandum ut
ægro cele-
tur , quod
ei mortem
afferret .

36. VERUM quia homines sumus , & inter homines vivimus , fateorque me nondum esse in eorum numero quos compensativa peccata non turbant ; sæpe me in rebus humanis vincit sensus humanus , nec resistere valeo cum mihi dicitur : Ecce gravi morbo periclitatur ægrotus , cujus jam vires ferre non possint , si ei mortuus unicus & carissimus filius nuntietur ; à te quærit an vivat , quem vitam finisse tu nosti : quid respondebis , quando quidquid aliud dixeris præter unum de tribus , aut mortuus est , aut vivit , aut nescio , nihil aliud credit ille quam mortuum ; quod te intelligit timere dicere , & nolle mentiri ? Tantumdem valet , etiamsi omni modo tacueris . Ex illis autem tribus duo falsa sunt , vivit , & nescio ; nec abs te dici possunt nisi mentiando . Illud autem unum verum , id est , mortuum esse , si dixeris , & perturbati hominis mors fuerit subsecuta , abs te occisus esse clamabitur . Et quis ferat homines exaggerantes , quantum sit mali salubre mendacium devitari , & homicidam diligi veritatem ? Moveor his oppositis vehementer , sed mirum si etiam sapienter . Cum enim proposuero ante qualescumque oculos cordis mei in-

intelligibilem illius pulchritudinem , de cujus ore falsi nihil procedit ; quamvis ubi radians magis , magisque clarescit veritas , ibi palpitations mea reverberatur infirmitas : tamen sic amore tanti decoris accendor , ut cuncta quæ inde me revocant humana , contemnam . Sed multum est ut iste in tantum perseveret affectus , ne in tentatione desit effectus . Nec me movet contemplantem luminosum bonum , in quo mendacii tenebræ nullæ sunt , quod nobis mentiri nolentibus , & hominibus vero audito morientibus homicida dicitur veritas . Numquid enim si stuprum expetat impudica , & te non consentiente , sævo amore perturbata moriatur , homicida erit & castitas ? An verò quia legimus : *Christi bonus odor sumus in omni loco , & in iis qui salvi sunt , & in iis qui pereunt ; aliis quidem odor vitæ in vitam , aliis autem odor mortis in mortem* ; etiam odorem Christi pronuntiabimus homicidam ? Sed quia homines sumus , & nos in hujusmodi quæstionibus & contradictionibus plerumque superat aut fatigat sensus humanus , ideo mox & ille subjecit : *Et ad hæc quis idoneus ?*

37. Huc accedit , ubi miserabilius ejulandum est , quod si concesserimus , pro salute illius ægri de vita filii ejus fuisse mentendum , ita paulatim minutatimque succrescit hoc malum , & brevibus accessibus ad tantum acervum mendaciorum sceleratorum sensum subintrando perducitur , ut numquam possit penitus inveniri , ubi tantæ pesti per minima additamenta in immensum convalescenti possit obsisti . Unde providentissimè scriptum est : *Qui modica spernit , paulatim deiecit* . Quid , quod vitæ hujus tales amatores ,

Non timendum
ne homicida
dicatur
veritas .

2. Cor. 2.
15. & 16.

Permisso
mendacio
in proposito
casu ,
quàm difficile
mendacis fines
figuntur , ne succrescant
usque ad perjuriam &
blasphemias .
Ecclesi. 19.
1.

res,

tur? Quis hanc absurditatem ferat? Nullo ergo modo dixerimus, eos qui asserunt aliquando esse mentiendum, id asserendo esse veraces, ne, quod est absurdissimum & stultissimum credere, veritas nos doceat esse mendaces. Quale est enim, ut esse adulterandum nemo discat à castitate, Deum offendendum nemo discat à pietate, cuiquam nocendum nemo discat à benignitate, & esse mentiendum discamus à veritate? Porrò si hoc non docet veritas, non est verum: si non est verum, non est discendum: si non est discendum, numquam est igitur mentiendum.

Hebr. 5.
14. Si aliquo modo permittuntur mendacia, metuedum ne usque ad perjuriam & blasphemias progrediantur.

39. Sed *perfectorum est*, ait aliquis, *solidus cibus*. Multa enim secundum veniam relaxantur infirmitati, quamvis sincerissimæ nequaquam placeant veritati. Dicat hoc, quisquis non metuit quæ consequentia metuenda sunt, si fuerint aliquo modo aliqua permissa mendacia. Nullo modo tamen in tantum sunt permittenda consendere, ut ad perjuriam blasphemiasque perveniant: nec aliquam causam prorsus oportet obtendi, cur debeat pejerari, vel quod est execrabilius, cur debeat blasphemari. Non enim quia per mendacium a blasphematur, ideo non blasphematur. Potest quippe hoc modo dici, non pejerari, quia per mendacium pejeratur. Quis enim per veritatem possit esse perjurus? b Sic etiam per veritatem nullus potest esse blasphemus. Sanè mitius falsum jurat, qui falsum nescit esse, & verum putat esse quod ju-

a Am. & Lov. quia per mendacium non blasphematur. Abest hoc loco non à MSS. & ab Er. debetque abesse.

b Ita MSS. At editi, si etiam.

jurat: sicut & Saulus excusabilius blasphemavit, quia ignorans fecit. Ideo autem pejus est blasphemare quam pejerare, quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus, blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo. Tanto est autem quisque inexcusabilior, sive perjurus sive blasphemus, quanto magis ea quæ pejerando vel blasphemando asserunt, falsa noverunt esse vel credunt. Quisquis itaque dicit pro periclitantis hominis salute temporali, vel vita esse mentiendum, nimis ipse ab itinere exorbitat æternæ salutis & vitæ; si dicit in ea causa etiam jurandum per Deum, vel etiam blasphemandum Deum.

40. SED aliquando nobis ipsius quoque salutis æternæ periculum opponitur, quod nostro mendacio, si aliter non potest, depellendum esse clamatur: velut si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum atque infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit, ut lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiando custodibus. Ab hoc a invidiosissimo clamore, quo cogimur non pro cuiusquam opibus vel honoribus in hoc sæculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vita, sed pro æterna hominis salute mentiri, quò confugiam, nisi ad te, Veritas? Et mihi abs te proponitur castitas. Cur enim si custodes isti, ut nos ad baptizandum hominem admittant, stupro illiciti possunt, non facimus contraria castitati, & si mendacio decipi possunt, facimus contraria veritati? cum proculdubio nulli esset fideliter amabilis castitas, si non eam præciperet veritas. Proinde

1. Tim. 2
13.

Pejerare & blasphemare quæ ratione differant.

CAP. XX.
An saltem pro æterna hominis salute mentiendum.

In salutis æternæ periculo, sicut non debet homini subveniri per stuprum, ita nec per mendacium, quod verè peccatum est.

a In sola editione Lov. invidiosissimo.

de ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas, ut homo baptizetur esse mentiendum, si non jubet castitas, ut homo baptizetur esse moechandum? Cur autem hoc non jubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas? Si ergo nisi quod veritas docet, facere non debemus; cum veritas doceat nec propter hominem baptizandum facere quod contrarium est castitati; quomodo nos docebit facere propter baptizandum hominem quod ipsi est contrarium veritati? Sed sicut oculi ad intuendum solem parum firmi, ea tamen quæ à sole illustrantur, libenter intuentur: sic animæ jam valentes delectari pulchritudine castitatis, non tamen continuò per se ipsam considerare veritatem, unde lucet castitas, possunt; ut cum ventum fuerit ad aliquid faciendum quod adversum est veritati, ita refugiant & exhorreant, quemadmodum refugiunt & exhorrent, si faciendum aliquid proponatur quod adversum est castitati. Ille autem filius qui verbum suscipiens à perditione longè aberit, & nihil falsi ex ejus ore procedit, tam sibi clausum deputat, si ad subveniendum homini per mendacium, quàm si per stuprum transire cogatur. Et Pater exaudit orantem, ut valeat sine mendacio subvenire, cui vult Pater ipse, cujus inscrutabilia sunt iudicia, subveniri. Talis ergo filius ita observat à mendacio, sicut à peccato. Nam & aliquando mendacii nomen pro peccati nomine ponitur: unde illud est: *Omnis homo mendax*. Sic enim dictum est, tamquam diceretur: Omnis homo peccans. Et illud: *Si autem veritas Dei in meo mendacio abundavit*. Ac per hoc cum

men-

Prov. 29.
27.

Psal. 115.
11.
Rom. 3. 7.

mentitur ut homo, peccat ut homo, & eâ sententiâ tenebitur qua dictum est: *Omnis homo mendax*. Et *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*. Cum verò nihil falsi ex ejus ore procedit, secundum eam gratiam sic erit, de qua dictum est: *Qui natus est ex Deo, non peccat*. Hæc enim nativitas si sola esset in nobis, nemo peccaret: & quando sola erit, nemo peccabit. Nunc autem adhuc trahimus, quòd corruptibiles nati sumus: quamvis secundum id quòd renati sumus, si bene ambulamus, de die in diem renovamur interiorius. Cum verò & corruptibile hoc induerit incorruptionem, vita totum absorbebit, & nullus mortis aculeus remanebit. Aculeus autem mortis est peccatum.

1. Joan. 1.
8.

1. Joan. 3.
9.

1. Cor. 15.
53. &c.

41. AUT ergo cavenda mendacia rectè agendo, aut confitenda sunt poenitendo: non autem cum abundant infelicitè vivendo, augenda sunt & docendo. Sed eligat, qui hoc putat, unde subveniat periclitanti homini, ad quamlibet salutem qualiacumque mendacia; dum tamen & apud tales obtineamus, nullâ causâ nos ad pejerandum & blasphemandum oportere perducere. Ista saltem scelera, vel ampliora stupris, vel certè non minora judicemus. Namque cogitandum est, sæpissime homines, de quarum adulterio suspicantur, ad jusjurandum provocare conjuges suas: quod utique non facerent, nisi crederent etiam illas quæ non timuerunt perpetrare adulterium, timere posse perjurium. Quia & re vera nonnullæ impudicæ, quæ non timuerunt illicito concubitu viros fallere, eisdem viris quos fefellerant, timuerunt Deum testem fallaciter

ad-

CAP. XXI.
Epilogus.

adhibere. Quid igitur causæ est, ut homo castus & religiosus homini baptizando nolit adulterio subvenire, & perjurio velit, quod solent & adulteri formidare? Porrò si nefas est hoc agere pejerando, quanto potiùs blasphemando? Absit ergo ut christianus neget atque blasphemet Christum, quò possit alium facere christianum; & pereundo quærat inveniendum, quem si talia doceat, perdat inventum. Sic ergo librum, cui nomen est *Libra*, te oportet refellere atque destruere, ut caput illud quo dogmatizant, occultandæ religionis causâ esse mentiendum, priùs esse noveris amputandum; ita ut illa testimonia quibus sanctos libros mendaciis suis patronos adhibere moliuntur, partim non esse mendacia, partim etiam quæ sunt, non esse imitanda demones: & si tantum sibi usurpat infirmitas, ut ei aliquid venialiter permittatur, quod improbat veritas; tamen ut inconcussè teneas, & defendas, in divina religione numquam omnino esse mentiendum: latentes verò sicut nec adulteros per adulteria, nec homicidas per homicidia, nec maleficos per maleficia; ita nec mendaces per mendacia, nec blasphemos per blasphemias esse quærendos; secundùm ea quæ tam multa in hoc volumine disputavimus, ut vix ad ejus terminum, quem loco isto fiximus, veniremus.

AD-



ADMONITIO IN LIBRUM DE HÆRESIBUS.

AD scribendum hunc librum hortator atque auctor Augustino fuit Quodvultdeus diaconus Carthaginensis. Eo spectant subsequentes epistolæ: prima Quodvultdei est Augustinum rogantis, ut hæresum edat catalogum, proprios quibusque errores ac ritus paucis complectentem; secunda verò Augustini excusantis operis difficultatem, remque ab aliis tentatam jam esse admonentis. Rescribit Quodvultdeus, vehementer ab eo contendens, ut id munus petitioni ipsius, imò universali desiderio non deneget. Tunc demum victus Augustinus laborem & curam in se recipit scribendi de hæresibus, dum per alias occupationes licebit. Nunc enim imposita sibi necessitate refellendi Julianum, se etiam ab incepta opusculorum suorum recognitione (quam rem plurimum necessariam judicat) avocari testatur; additque se hujus recognitionis duo volumina jam absolvisse, retractatis omnibus libris suis. Hæc duo volumina circiter annum Christi 427. perfecta observamus in tomo I. quibus quando quidem posterior est ipse De Hæresibus liber, ad annum circiter 428. revocandus videtur. Possidius in indiculo, capite 5. notat, De Hæresibus ad Quodvultdeum diaconum, imperfectum opus. *Es*

TOM. II.

FF

Isi-